



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III.  
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et  
Decreta**

**Tridentinum <1545-1563, Trient>**

**Coloniae, 1615**

Bvlla S. D. N. D. Pii, Divina Providentia Papæ quarti, contra quoscunque  
Ecclesias, & beneficia ecclesiastica quæcumq[ue] in confidentiam  
retinentes, siue recipientes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42415**

BULLA S. D. N. D. PII,  
 DIVINA PROVIDENTIA PA-  
 pæ quarti, contra quoscunque Ecclesias,  
 & beneficia ecclesiastica quæcumq;  
 in confidentiam retinentes,  
 siue recipientes.

PIVS EPISCOPVS, SERVVS  
*servorum Dei, ad perpetuam rei  
 memoriam.*

Romanum Pontificem in excelsa mi-  
 litantis Ecclesiæ specula constitutum,  
 vigilans mentis oculos non solum in ab-  
 sentium extendere, sed potissimum in præ-  
 sentium domesticorumque fratrum, & fi-  
 liorum suorum mores diligenter perscru-  
 tandos, aliquando reflectere, ac eos, præser-  
 tim quos in Apostolicæ sollicitudinis par-  
 tem euocavit altissimus, ne dum ab omni  
 peccationis illicite contagione, verum etiam  
 ab eius omnimoda suspitione, vacuos &  
 immunes conservare decet: ut qui ceteros  
 illustris officij sublimitate antecellunt, eos-  
 dem præsertim etiam illa morum integritate præ-  
 stare dignoscantur. Sanè licet dudum cum  
 certam simoniaeque prauitatis speciem, quam  
 beneficiorum confidentiam vocant, in Ro-  
 Cur. atq; adeo in sacrum venerabiliū fratrum  
 nostrorum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Car-  
 dinalium, collegium, quasi per cuniculos  
 irrepisse, ac nonnullos ex ipsis fratribus,

nimia

nimia quadam facilitate, seu potius importunus amicorum familiarumq; precibus adductos, beneficia Ecclesiastica in cōfidentia huiusmodi recepisse, & frequenter recipere intelleximus, hanc illicita beneficentia exercenda, seu amicitia colenda viam, a tanto saltem Collegio prorsus eliminare cupientes, eosdem fratres in Consistorio nostro secreto, non solum admonuerimus, huic aliena beneficia custodiendi modo ne assuescerent, neve illa hoc pacto reciperent, utque sic recepta dimitterent: Nihilominus nuper ad aures nostras peruenit, eorum aliquos, monitionis nostrae, immò potius suimet oblitos, ea quae custodienda receperant beneficia, nondum tamen dimisisse. Et insuper illos, & nonnullos alios, etiam Patriarchas, & Archiepiscopos, & alios Episcopos, ac etiam camerae Apostolicae clericos, Ecclesias, monasteria, dignitates & alia beneficia huiusmodi, in sui fauorem resignata, cessa, vel alias dimissa acceptasse, aut de illis, per oblitum, vel alias vacantibus, a nobis, & praedecessoribus nostris, seu etiam ab ordinarijs, & alijs inferioribus collatoribus etiam ad patronorum praesentationem, ad alterius commodum sibi prouideri obtinuisse, illaque, ac etiam alias aliter vacantia, sibi in titulum, commendam, vel administrationem, aut alias dicta auctoritate concessa, quandoque in resignatum, vel creditum, seu etiam aliorum fauorem cessasse, vel alias dimisse. Ac sibi propterea pensiones annuas, ac fructus reddituum & prouentus ecclesiarum, monasteriorum,

digni-

dignitatum, & aliorū beneficiorum huiusmodi, in toto, vel in parte, etiam aliquādo cum facultate illas & illos transferendi, ac etiam collationem, prouisionem, presentationem, & aliam dispositionem beneficiorū ecclesiasticorum, ad earundem ecclesiarum, monasteriorum & dignitatum praelatos pro tempore existentes, ac alios huiusmodi beneficia pro tempore obtinentes pertinentium, necnon regressus, siue accessus, & ingressus ad Ecclesias, etiam Cathedrales monasteria, ac alia diuersa beneficia ecclesiastica, sibi reseruari procurasse & obtinuisse ad hoc videlicet, vt confidentes sic decimarum Apostolicarum; vel communis dicti Collegij, & Annata aliorumq; iurium dictæ Camera debitorum, solutionem eludant, integrisque beneficiorum, etiam in mensibus Apostolicis vacantium, aut alias dispositioni Sedis Apostolicæ generaliter reseruatorum collationibus, ac interdum vt beneficia ipsa tempore procedente, in aliquorum, tunc forsan de iure inhabilium, & incapacium, vel nōdum adhuc natorum, fauorem cedantur, seu resignentur, vel vt personæ inhabiles, & incapaces huiusmodi, etiam Laici, pensionibus, ac fructibus, redditibus & prouentibus Ecclesiasticis fruantur, & gaudeant, sed potius illis, & facultate transferendi prædicta abutantur, in animarum suarum periculum, & perniciosum exemplum. Quare nos hęc Cardinalium eorundem, in monitionibus nostris parendo, incuriam, & tam illorum, quàm cæterorum praelatorum, etiam Clericorum, ac aliorum quo-

T

rum

rumcumque indignā fallaciam, conuen-  
 tibus oculis diutius minimē dissimulādam,  
 sed huic errori, ne radices altius agat, occur-  
 rendum tandem esse censentes Et quoniam  
 hanc ipsorum, qui, monitioni nostra, non  
 parentes, beneficia huiusmodi in confiden-  
 tiam, vt præfertur, retinuerūt, & fructus ex  
 eis indebitè, vel percipiendo, vel per alios  
 nomine suo, etiam per simulatas illorum  
 locationes, & fictas de receptis quietantias,  
 ac donationes, & remissiones percipi sine  
 do, grauitè excesserunt Cardinalium me-  
 tam, potius ex immoderata erga suos indul-  
 gentia quàm aliquo præceptorum nostrorū  
 spretu processisse facile reputamus: idcirco  
 omnes & singulas ecclesias etiam Metro-  
 politanas, & alias Cathedrales, ac monasteria,  
 etiam cōsistorialia, prioratus, proposituras,  
 præposituras dignitates, etiam maiores, &  
 principales, etiā conuetuales, personatus,  
 administrationes & officia, ceteraque be-  
 neficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura,  
 secularia, & quorumuis Ordinū regularia  
 etiam de iure patronatus, etiam laicorum,  
 etiam nobilium & illustrium, etiam ex fū-  
 datione & dotatione existentia, per eiusdē  
 Roman. Ecclesiæ etiam Episcopos Cardina-  
 les & quoscumque alios, etiam Patriarchas,  
 Archiepiscopos, & alios Episcopos, ac etiam  
 eiusdem Cameræ Clericos, in titulum com-  
 mēdam vel administrationem, aut aliās, in  
 huiusmodi confidentiam iure prohibitam  
 cuiusuis personæ, vt præfertur, contem-  
 ptione vel intuitu, quouis modo recepta, il-  
 lorum liberam collationem & dispositio-  
 nem

nem nobis & Sedi Apostolica, harum serie  
 reseruantes ipso iure à die receptionis eo-  
 rundem, vacauisse, & vacare: ac fructuum, &  
 pensionum reseruaciones ac facultates trās-  
 ferendi, & collationis beneficiorum con-  
 cessiones, eis vt premittitur, factas ac regres-  
 sus, siue accessus, & ingressus concessos hu-  
 iusmodi cessasse, & cessare, ac extinctos  
 esse: Et eosdē Cardinales, seu quosuis alios  
 à prima die receptionis beneficiorum hu-  
 iusmodi citra fructus, redditus, & prouentus  
 earundem ecclesiarum, monasteriorum,  
 dignitatum & aliorum beneficiorum, ac  
 pensiones prædictas indebitè percipere,  
 suosque facere non potuisse, neq; debuisse,  
 sed illos omnes & singulos ad Camerā ean-  
 dem deuolutos fuisse, & esse, illique de-  
 beri; ac ipsos Cardinales, & alios, ad quorū  
 manus quomodolibet peruenerunt, & eorū  
 hæredes, ad integram illorum restitutio-  
 nem, in utroque foro teneri, & ad id op-  
 portunis iuris remedijs, compelli debere,  
 auctoritate Apostolica tenore præsentium,  
 decernimus & declaramus. Et insuper vni-  
 uersis & singulis, tam eiusdem Ro. Ecclesiæ  
 Cardinalibus etiam Episcopis, quàm Præla-  
 tis, & Clericis, & alijs prædictis, præsentibus,  
 & futuris, ne deinceps vllò vnquā tem-  
 pore, aliquas ecclesias, monasteria, digni-  
 tates vel alia beneficia, etiam de dicto iu-  
 re patronatus, vt præfertur, existentia, aut  
 fructus, vel pensiones, aut regressus, seu ac-  
 cessus, in confidentiam prædictā, aut ad ef-  
 fectum reseruacionum huiusmodi sibi post-  
 modū cedentibus procurandarum, recipere

præsumant: Cardinalibus verò & alijs Præ-  
 latis huiusmodi, in virtute sanctæ obedi-  
 tiæ, & sub interdicti ingressus ecclesiæ, reli-  
 quis verò sub maioris excommunicationis  
 lata sententiæ pœna, per contrafacientes eo  
 ipso incurrenda, à qua nisi à nobis, aut Ro.  
 Pontifice pro tempore existente, præter quàm  
 in mortis articulo cõstituti, absolui neque-  
 ant; districtis inhibemus. Ac quascumque  
 collationes, prouisiones, perfectiones, com-  
 mendas, reservationes, facultates, etiã trã-  
 ferendi ac egrediendi, siue accedendi, & in-  
 grediendi, ac alias dispositiones, de ecclesijs,  
 monasterijs, dignitatibus & alijs beneficijs,  
 eorumque fructibus, & beneficiorum col-  
 lationibus per nos, & alios Romanos Ponti-  
 fices successores nostros, etiam motu pro-  
 prio, seu Consistorialiter, aut etiam per Or-  
 dinarios, & alios inferiores collatores, &  
 ad patronorum eorundem presentationem,  
 & alias quomodolibet cum interuentu con-  
 fidentiæ huiusmodi, expresse, siue occulte,  
 ac de iure præsumptè, & alias contra præ-  
 missa pro tempore factas, nullas, & inuali-  
 das, nulliusque roboris vel momenti fore,  
 neque cuiquam suffragari: Sed ecclesijs,  
 monasterijs, dignitates, ac alia beneficia hu-  
 iusmodi, ipso iure vacare, ac nostræ & Sedis  
 Apostolicæ dispositioni reservata, fructus-  
 que, & pensiones Camera Apostolicæ ap-  
 plicatos, vt præfertur, esse, & censerì: Sicque  
 in præmissis omnibus & singulis, per quos-  
 cumque Iudices, & Commissarios, etiam i-  
 psius Ecclesiæ Romanæ Cardinales, sublata  
 eis quauis aliter interpretandi, & iudicandi

facul-

facultate, etiam per præsumptiones, & con-  
 iecturas legitimas, & eorum arbitrio ( cum  
 alias confidentias huiusmodi in lucem e-  
 rui, & probari non posse constet) proceden-  
 do, iudicare & definiri debere: Ac quic-  
 quid secus super his, à quoquam, quavis au-  
 thoritate, scienter, vel ignoranter attentari  
 contigerit, irritum & inane similiter de-  
 cernimus. Non obstantibus fel. rec. Bonifa-  
 cij Pap. 8. prædecessoris nostri, de vna & Cō-  
 cilij generalis de duabus diētis, ac alijs con-  
 stitutionibus Apostolicis, necnon Collegij  
 præfati, iuramento, cōfirmatione Apostoli-  
 ca, vel quavis firmitate alia roboratis statu-  
 tis, & consuetudinibus contrarijs quibus-  
 cumque. Aut si aliquibus communiter vel  
 diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod  
 interdici, suspendi, vel excommunicari non  
 possint, per litteras Apostolicas, non facien-  
 tes, plenam & expressam, ac de verbo ad ver-  
 bum de indulto huiusmodi mentionem. Et  
 ne quispiam vllō vnquam tempore præsen-  
 tium ignorantiam prætere possit; Volu-  
 mus & eadem auctoritate decernimus, quod  
 ipsæ præsentēs litteræ ad Basilicæ Principis  
 Apostolorum de Vrbe valuas, per aliquem  
 ex Cursoribus nostris, illarum copia ibi af-  
 fixa & dimissa, & etiam in Cancellaria Apo-  
 stolica, de more publicentur; ac in eiusdem  
 Cancellariæ quinterno, ac maiorem partiū,  
 illas in iudicio producere volentium, com-  
 moditatem describantur. Nulli ergo omni-  
 nō hominum liceat hanc paginam nostræ  
 reseruationis, declarationis, inhibitionis,  
 decreti & voluntatis infringere, vel ei ausu



temeratio contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli, Apostolorum eius se noverit incursum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo Sexagesimoquarto, XVII. Kal. Nouembr. Pontificatus nostri, anno 5.

*Ce. Glorierius.*

*Visa de Curia M. de Enciso.*

*H. Cumyn.*

Anno à Natiuitate Domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimoquarto, indictione septima, die vero quarta mēsis Decēb. Pontif. Sanctissimi in Christo patris, & D. N. D. Pij, diuina prouidentia Papæ 4. Anno 5. Suprascriptæ literæ Apostolicæ publicatæ & affixæ fuerunt ad valuas Basilicæ principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ, dimissis ibidem in suprascriptis locis suprascriptarum literarū copijs affixis, vt & moris est, per nos Iulium Parinum, & Bernardinum

Andrutium, prælibati Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores.

*Antonius Clerici Magister Cursorum.*

BVLLA